MOLINISMUS NON JANSENISMUS DESTRUENS RELIGIONEM

Digitized by Google

34. 3 D 4

plis, & propter populi confluentis multitudinem, tempus vix dabitur integræ peccatorum confeſſioni, ut eo die abſolvantur omnes & communicent. Eleemoſyna etiam largè dari poterunt Religioſis aliorum Ordinum ipſis fœderatorum, cæteris nulla. Parochi erunt digniſſimi, qui Parochiarum ſuarum ipſis directionem committunt; qui noluerint, indigni & inimici habebuntur, tractabuntur ut Schiſmatici imo ut Hæretici, ab Epiſcopis deponendi, & per Poteſtates ſæculares plectendi. Reges & Principes erunt ignobiles, ſi ipſis non ſerviant: verbo uno, Deus ipſe (abſit tanta blaſphemia:) cultu ab ipſis determinato honorabitur, nulluſque verus Dei cultor erit qui verbum ab ipſis non audierit, relictâ etiam Scripturâ & Traditione. Quanto animarum exitio hæc ſua in Eccleſiam invexerint dogmata, gementes boni Eccleſiæ filii videre coguntur & tacere: tanta eſt hodiedum Moliniſtarum poteſtas, ne dicam perſecutionis rabies! Ianſeniſta eſt, Hæreticus eſt, quiſquis eis dogmatizantibus doctrinas hominum, vanas vocum novitates, contrarius eſt: Catholicus ipſis & Eccleſiæ Filius eſt, quiſquis ab Auguſtini de Gratiâ, quæ Pauli & Scripturæ eſt, doctrinâ, ad nova Molinæ placita accedit. Moliniſmum evertere Religionem ſequentibus novem Gradibus oſtendam.

GRADUS PRIMUS.

Moliniſmus extinguens omnem pium affectum erga Deum, in Chriſtum amorem, & ſtudium bonorum operum.

PRincipia *Moliniſmi* hîc oppoſita prætenſo *Ianſeniſmo* ſunt nova, à nullo Patrum tradita: nullus enim SS. Patrum ita explicavit hæc loca Apoſtoli *Rom.5.* & *1.*ad *Tim.4.* uti nec *2. Petr. 3. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ: Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum. Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti:* ut ex iis dicant, quòd *Chriſtus* omnibus omninò hominibus, nullo excepto, offerat media ad ſalutem, & ad omne opus bonum ſufficientia; cum initium ſalutis & omnis boni operis ſit fides, *quæ non eſt omnium*, teſte *Auguſtino* lib. de grat. & lib. arb. cap.13. certumque ſit *multos* quidem *vocatos eſſe*, paucos verò electos, & contrarium principiis iſtis tradat Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. his verbis: *Verùm etſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* De gratia omnibus oblatâ, dogma eſt Semipelagianorum, quod *S. Proſper* carm. de ingratis cap. 11. & 12. refutavit; ut proinde gratîs à tali gratia oblata repetatur poſſibilitas præceptorum, quorum implendi poteſtas interiorem gratiam, non oblatam ſed collatam, non otioſam ſed actuoſam, non neceſſitantem ſed liberantem, & ad impletionem boni operis actu moventem, ac reſiſtenti cupiditati prædominantem requirit, juxta *S. Auguſtini* & Eccleſiæ principia, quæ præten-

Digitized by Google

prætenſus *Ianſeniſmus Moliniſmo* contrarius recipit & tradit. Atque ita *Moliniſmus* non admittens propriam gratiam, quæ juxta *Auguſtinum*, eſt inſpiratio dilectionis ut cognita ſancto amore faciamus, quæ dat velle & operari, ſed à libero arbitrio inclinato & viribus attenuato oblatæ gratiæ conſenſum, quem nunquam daturum eſt, niſi per gratiæ interioris efficaciam erigatur & ſanetur, ſuſpendens, *extinguit omnem pium affectum erga Deum, in* Chriſtum *amorem, & ſtudium bonorum operum*, utpote non Deo ſed libero arbitrio corrupto potiſſimas ſalutis ſuæ partes adſcribens, nec *Chriſtum* ut authorem ſalutis ſuæ, ſed ſeipſum amans, quia principatum non gratiæ *Chriſti* tribuit, ſed ancillatum, non *Chriſti* ducatum ſequitur ſed ſuum; gratiam facit liberi ſui arbitrii pediſſequam, & ad omnia opera bona per ſolum liberi arbitrii conſenſum pro nutu ſuo applicat, ut proinde parum de bonis operibus ſit ſollicitus, quæ quando volet & quoties volet, oblatæ ſemper ſufficienti gratiæ conſentiendo operabitur.

GRADUS SECUNDUS.

Omnem ex Eccleſia Iudicem infallibilem eliminans.

Moliniſmus inauditum toti Antiquitati dogma de infallibili controverſiarum fidei Judice ſtatuit Summi Pontificis Authoritatem independentem à verbo Dei toti Eccleſiæ revelato, quod ſcripturâ ſacrâ & traditione adæquate continetur; adeoque fidei regulam non ad verbum Dei toti Eccleſiæ revelatum reſtringit, ſed ad authoritatem hominum fallibilem reducit, in quo *omnem ex Eccleſiâ judicem infallibilem eliminat. Ianſeniſmus* prætenſus inhæret antiquitati, quæ infallibilem hujuſmodi controverſiarum judicem ad definiendum vel ex ſcripturâ vel ex traditione, adſtringit, ut divina, non humana definitioni fides adhibeatur. *Moliniſmus* non Deo, quem non videt, ſed hominibus, quos videt in apice conſtitutos, *Ianſeniſmus* prætenſus magis Deo quam hominibus quibuſcumque vult placere.

GRADUS TERTIUS.

Omnem deſtruens Hierarchiam Eccleſiaſticam.

Moliniſmo ſolus Papa eſt infallibilis, ſolus dat Authoritatem Conciliis generalibus; nullus Epiſcopus eſt judex controverſiarum fidei, nullus præeſt Eccleſiæ ſuæ niſi ut vices-gerens Pontificis, & tamquam ejus

 ſuffra-

Digitized by Google

Suffraganeus ; adeóque ſolus Papa eſt Hierarcha, ſolus propriè Epiſcopus totius gregis Dominici, ſolus Paſtor ; omnes ejus Delegati ; ac proinde ad nihilum valet illud *Apoſtoli : quos conſtituit Spiritus S. Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* ; nulla jure divino in Eccleſia Hierarchia, ſed ſolo jure Pontificio ſtabilita, à nutu Papæ dependens, & ita Eccleſia non Hierarchica ſed Monarchica dici debet ; maleque antiqui ſcripſerunt de Hierarchiâ, & non de Monarchiâ Eccleſiaſticâ. *Omnem igitur evertit Moliniſmus Hierarchiam Eccleſiaſticam* ; *Ianſeniſmo* prætenſo placet Antiquitas.

GRADUS QUARTUS.

Venerationem imaginum ac ſanctorum, etiam Deiparæ cultum profanans.

M*oliniſmus* contendit Deiparam omninò rectè coli ab iis, in quibus nec Dei cultus eſt, nec ulla Dei dilectio, adeoque contendit dari omninò rectum, id eſt, verè religioſum *Mariæ* cultum, ſine ullo Dei cultu, ſine ulla Dei dilectione, ac proinde cultum *Mariæ* eſſe abſolutum, non relativum, cum cultus creaturæ ſine ullo cultu Creatoris abſolutus ſit. Vnde ulterius ſequitur cultum *Mariæ*, non eſſe hyperduliam ſed latriam, vel potius idololatriam. Inſuper ſequitur dari piam Deiparæ dilectionem ſine ulla Dei dilectione, eamque ut Deum, imo plus quam Deum poſſe diligi eâ dilectione, quæ ſalutem operatur, peccatoreſque ſolo cultu, ſolâ dilectione *Mariæ*, ſine Dei, ſine *Chriſti* cultu ac dilectione ſalvari ; nec mirum eſſe, laudem quæ defertur *Mariæ* ut *Mariæ* vanam non eſſe, *Mariam* eſſe refugium peccatorum impœnitentium & gentiliter viventium. *Ianſeniſmus* prætenſus vel potius genuinus Chriſtianiſmus, ſicut creaturæ dilectionem Dei dilectioni, ita cultum Deiparæ aliorumque ſanctorum Dei cultui ſubordinat, & ſicuti ſentit cum *Auguſtino* Deum non verè coli niſi Fide, Spe, & Charitate, ita nec ullum ſanctorum ; laudemque *Mariæ* ut *Mariæ* delatam ſine reſpectu ad Filium Dei, cujus eſt Mater, vanam & ſuperſtitioſam eſſe, nec *Mariam* eſſe refugium peccatorum, niſi eorum, qui fide & ſpe & aliquâ Dei dilectione ad obtinendam ab eo gratiam ſuæ converſionis ad illius interceſſionem recurrunt. Non igitur *Ianſeniſmus* venerationem imaginum relativam ad Sanctos, nec Sanctorum aut Deiparæ cultum convellit relatum ad Deum, ſed non relatum profanat *Moliniſmus*.

Digitized by Google

GRADUS QUINTUS.

Prodigens & vilipendens indulgentias, & profanans ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

M*oliniſmus* propter indulgentias applicandas præcipitat abſolutiones, omnibus accedentibus ad Tribunal confeſſionale, nullo habito criminum diſcrimine aut multitudine, ejus beneficium impendit, modò dicant ſe dolere, & emendationem proponere, leves injungit pœnitentias, quia proportio pœnitentiarum ad qualitatem & quantitatem ac multitudinem criminum, per indulgentias ſuppletur; communionem corporis Domini largitur omnibus ſic abſolutis, ne quid deſit indulgentiis lucrandis. *Ianſeniſmus* prætenſus non ita cum peccatoribus egiſſe Patres contendit, venerandam antiquitatem ſi non adæquatè ſequitur in expiandis peccatoribus longo tempore antequam eos abſolvat, neque in pœnitentiis injungendis rigorem canonum obſervat, ſaltem imitatur, non tam ad ſatisfactionem pro pœnâ temporali, quam ad procurandum in iis contritionis motum, qui non tantùm ceſſationem à peccatis, ſed & novæ vitæ propoſitum & inchoationem, veteriſque odium omnino requirit. Unde dum differt eis abſolutionem, nondum iſtjuſmodi motum in ipſis videt, cavetque inutilem & ſacrilegam impendere, & indignis tradere corpus Domini, ne judicium ſibi manducent: atque ita indulgentias, quæ non proſunt niſi exiſtentibus in ſtatu gratiæ, non vilipendit, ſed utiles reddit, non avertit à ſacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ſed ad ſalutiferum eorum uſum & fructum, qui eſt remiſſio peccatorum, & ſpiritualis nutritio, tam habitualis, quam actualis, diſponit. E contrà *Moliniſmus* vilipendit vel potius prodigit indulgentias, quia ſæpe eas applicat indiſpoſitis, non verè converſis, fictè confeſſis, ſacrilegè abſolutis, indignis corporis Domini manducatoribus. Ex fructibus dignoſcendi ſunt, qui benè, qui malè abſoluti ſunt, qui dignè, qui indignè communicârunt, qui fructum indulgentiarum perceperunt, qui non: illi enim mutant vitam, iſti in vitiis perſeverant.

GRA-

Digitized by Google

GRADUS SEXTUS.

Odium & calumnia adverſus Presbyteros.

M*oliniſmus* Presbyteros inſectatur maximè eruditos & probos, qui in ſuis Eccleſiis non admittunt paſſim quoſcumque Religioſos ſive ad concionandum & catechiſandum, ſive ad audiendas confeſſiones fidelium ſuæ curæ concreditorum, quia hæc per ſe munia volunt exequi, & exequuntur, ut debito ſui officii ſatisfaciant, & gregem Dominicum (ut proprios Parochos decet) per ſe paſcant. Hoc ægrè fert *Moliniſmus*, quod apud Presbyteros eandem gratiam non inveniat, quam apud Magnates, quod apud illos non in eadem veneratione ſit, quam apud communem plebem, quod non in parochialibus, ſicut in propriis dominetur Eccleſiis, quod ubique primas non obtineat Cathedras, & ſubſellia occupet. Putat ſe deprimi, contemni, & odio haberi, ubi non exaltatur. Mira gloriæ affectatio! *Ianſeniſmus* ècontra tantùm reſpicit quæ ſunt officii ſui, ſuâ contentus eſt Eccleſiâ, Religioſorum Cathedras & Confeſſionalia non ambit: non vult impediri à ſuis muniis, ne animæ detrimentum patiatur; non quærit Aulas Principum, doctrinas & praxes *Moliniſmi* non recipit, non eorum perſonas odit, & tamen odiorum & calumniarum ab eo accuſatur.

GRADUS SEPTIMUS.

Criminationes & contumelia adversùs Epiſcopos & Vicarios Apoſtolicos.

M*oliniſmus* laudat Epiſcopos, quos regit, & qui ejus conſilia ſequuntur, qui *Ianſeniſmum* perſequuntur, qui quidquid dicunt & faciunt Moliniſtæ, Evangelium credunt, & hæreſim quidquid dicunt & faciunt prætenſi Janſeniſtæ. *Moliniſmus* implacabili odio fertur in *Ianſenium* Epiſcopum, quia ejus errores & praxes laxas detexit *Ianſenius*; criminatur iſtius Epiſcopi doctrinam ut nefandiſſimam hæreſim, contumeliis affecit ejus ſepulturam uſque ad binam abſtractionem lapidis ſepulchralis ab ejus tumulo: expoſuit ſæpiſſimè in theatris & pompis publicis ejus velut hæreſiarchæ imagines & ſtatuas in veſtitu Epiſcopali ludibrio puerorum & totius vulgi. Notum eſt quomodo anno 1651. in civitate Matiſconenſi in ſolemni Adoleſcentulorum pompâ bacchanalia Moliniſtæ inſtruxerint. Hîc elegans Adoleſcens habitu puellari, omni excultus mundo muliebri, contortis crinibus &

auro

Digitized by Google

[illegible] quemdam Epiſcopum poſt ſe religatum trahebat; nunc nigrum velamen faciem obfuſcabat, mitra papyracea caput ad ludibrium ornabat: & ne quis ignoraret triumphatricem puellam, addita inſcriptio ſufficientem hanc eſſe gratiam indicabat. Collegium Claromontanum Janſenium à Dœmonibus abreptum in ſcenam dedit, &c. Hiſtoriæ refertæ ſunt rabiei Moliniſticæ in Epiſcopos, qui infrænatæ eorum libidini, & indefatigabili graſſandi in Gregem Dominicum cupiditati obſtiterunt. Teſtes ſunt Illuſtriſſimi *Pallafox*, *Bernardinus de Cardenas*, *Navarette* & alii in Indiis: in Anglia Epiſcopus *Calchedonenſis*, in Hollandia *Caſtorienſis*, & hodiernus *Sebaſtenus* Vicarii Apoſtolici. Teſtes ſunt quatuor ſanctiſſimi in Gallia Epiſcopi *Electenſis*, *Bellovacenſis*, *Andegavenſis*, *Appamienſis*: in Belgio noſtro *Boonen*, *Trieſt*, *Alphonſus de Berges* & alii ubique terrarum *Moliniſmo* adverſi quos criminationibus & contumeliis affecit, afficitque hodiedum. *Ianſeniſmus* non invehitur in Epiſcopos, ſed apud eos præoccupatos ſiniſtris opinionibus adverſùs prætenſos Janſeniſtas, quos à ſe repellunt, audire no[illegible]n paratos coram illis cauſam dicere, ac ſe, doctrinam & praxim ſuam juſtificare, ad quod præſtandum à *Moliniſmo* diffidente de cauſæ ſuæ bonitate impediuntur, patitur *Moliniſmo*. En cauſa querelarum *Ianſeniſmi* adverſùs Epiſcopos Belgii.

GRADUS OCTAVUS.

Injurius Regibus, eorumq; ſubruens authoritatem.

M*oliniſmus* docet licita Regum ſibi infenſorum parricidia. Hoc clamat *Francia*, hoc execratur *Anglia*, & in ſuis liturgiis deprecatur. Hoc *Ianſeniſmus* numquam docuit nec docet, ſed deteſtatur. *Moliniſmus* ſibi devotis Regibus Regna defert, indevotis aufert. *Ianſeniſmus* docet Reges nullâ ex causâ deponi poſſe, non Regno privari, non Infideles quidem aut Hæreticos, nedum Chriſtianos Catholicos. *Moliniſmus* inſinuat ſe in aulas Regum, ambit illis à confeſſionibus eſſe & à conſilio, ut per eorum poteſtatem omnes ſibi adverſantes, exilio, carceribus, imo & vitâ mulctet. Negotium Duacenum impietatis & ſacrilegii monſtrum in ore adhuc eſt omnibus. *Ianſeniſmus* prætenſus hæc patitur, non in Reges clamans, ſed in aſſentatorem & perſecutorem *Moliniſmum*, qui videntes excæcat Reges, non videntes in ignorantia & cæcitate detinet, ut quidquid ei libuerit, exequantur. *Ianſeniſmus* Regum aut Principum aulas non frequentat, ſcribit iis erudiendis in juſtitiâ & ſanctitate veritatis, *Moliniſmi* fraudes, perverſa dogmata, pernicioſa

cioſa conſilia detegit, ut tandem aliquando aperiant oculos, & videant ſe cæcos à cæco duci *Molinisſmo.*

GRADUS NONUS.

Proculcans Scripturam ſacram, ejus lectionem fidelibus ſubtrahens contra unanimem conſenſum S.S. Patrum.

Molinisſmus ſuis pruriens opinionibus, & humanis inventis commento probabilitatis verſatilis, concupiſcentiæ carnis, concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ lenocinantis, cœleſtes veritates in ſcripturâ ſacrâ revelatas, non præcipientes niſi charitatem, non vetantes niſi cupiditatem, & ita informantes mores hominum, è medio amoliri cupiens, totis incumbit viribus, ut libri ſacri abſtrahantur è manibus, & amoveantur ab oculis fidelium, prætextu periculum hæreſeos ex eorum lectione exemplo illorum, qui eos corruperunt ad ſui ipſorum perditionem. *Ianſeniſmus* reclamat ex unanimi Patrum conſenſu, qui libros iſtos divinos ab omnibus legendos ſanxerunt ut veram & ſolidam pietatem in iis inveniant, ſecuramque ad beatam æternitatem viam ſequantur, non ex præſumptione humanarum opinionum, ſed ex lumine divinitùs revelato, greſſus ſuos metientes & dirigentes, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in cognitione ſpiritûs & virtutis ambulantes, non ſuperba ſapientes, ſed humilia ſentientes, non mundum ſectantes, ſed humilitatem Crucis *Chriſti* imitantes, in fide legentes, & intellectum captivantes, non evaneſcentes in cogitationibus ſuis, ſed Deo gloriam dantes, ſcientes poſt *Auguſtinum*, quod ubi Scriptura patet, ibi charitas pateat, ubi Scriptura latet, charitas etiam lateat, non ignorantes id poſſe dici de Scriptura Sacra, quod Eccleſia canit in hymno de corpore *Chriſti*: *legunt boni, legunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitûs*, nec ideo ſubtrahendum corpus *Chriſti* fidelibus ad menſam Domini ſeſe offerentibus, quia ſumunt boni ſumunt mali, ſorte ſimiliter inæquali; nec proinde Scripturam è manibus fidelium ſubtrahendam. *Hoc docet Ianſeniſmus*; illud rejicit *Moliniſmus*; ergo *Moliniſmus*, non *Ianſeniſmus* deſtruit Religionem.

Approbatio vacat, quia tam audax adverſus *Moliniſmum*, quam *Nicolaus du Bois* adverſus *Ianſeniſmum*, Cenſor non reperitur: Poteſtatem mundanam non timet *Moliniſmus* dicens falſitatem: ne gratis perſecutionem patiatur illam timet *Ianſeniſmus*, dicens veritatem.

Digitized by Google

cioſa conſilia detegit, ut tandem aliquando aperiant oculos, & videant ſe cæcos à cæco duci *Moliniſmo.*

GRADUS NONUS.

Proculcans Scripturam ſacram, ejus lectionem fidelibus ſubtrahens contrà unanimem conſenſum S.S. Patrum.

MOliniſmus ſuis pruriens opinionibus, & humanis inventis commento probabilitatis verſatilis, concupiſcentiæ carnis, concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ lenocinantis, cœleſtes veritates in ſcripturâ ſacrâ revelatas, non præcipientes niſi charitatem, non vetantes niſi cupiditatem, & ita informantes mores hominum, è medio amoliri cupiens, totis incumbit viribus, ut libri ſacri abſtrahantur è manibus, & amoveantur ab oculis fidelium, prætextu periculum hæreſeos ex eorum lectione exemplo illorum, qui eos corruperunt ad ſui ipſorum perditionem. *Ianſeniſmus* reclamat ex unanimi Patrum conſenſu, qui libros iſtos divinos ab omnibus legendos ſanxerunt ut veram & ſolidam pietatem in iis inveniant, ſecuramque ad beatam æternitatem viam ſequantur, non ex præſumptione humanarum opinionum, ſed ex lumine divinitùs revelato, greſſus ſuos metientes & dirigentes, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in cognitione ſpiritûs & virtutis ambulantes, non ſuperba ſapientes, ſed humilia ſentientes, non mundum ſectantes, ſed humilitatem Crucis *Chriſti* imitantes, in fide legentes, & intellectum captivantes, non evaneſcentes in cogitationibus ſuis, ſed Deo gloriam dantes, ſcientes poſt *Auguſtinum*, quod ubi Scriptura patet, ibi charitas pateat, ubi Scriptura latet, charitas etiam lateat, non ignorantes id poſſe dici de Scriptura Sacra, quod Eccleſia canit in hymno de corpore *Chriſti*: *legunt boni, legunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitûs*, nec ideo ſubtrahendum corpus *Chriſti* fidelibus ad menſam Domini ſeſe offerentibus, quia ſumunt boni ſumunt mali, ſorte ſimiliter inæquali; nec proinde Scripturam è manibus fidelium ſubtrahendam. *Hoc docet Ianſeniſmus*; illud rejicit *Moliniſmus*; ergo *Moliniſmus*, non *Ianſeniſmus* deſtruit Religionem.

Approbatio vacat, quia tam audax adverſus *Moliniſmum*, quam *Nicolaus du Bois* adverſus *Ianſeniſmum*, Cenſor non reperitur: Poteſtatem mundanam non timet *Moliniſmus* dicens falſitatem: ne gratis perſecutionem patiatur illam timet *Ianſeniſmus*, dicens veritatem.

Digitized by Google